

INDUSTRIA NATURÆ  
SUAS OPES ET OPERAS EXPLICANTIS  
IN OPERIS FRONTISPICIO.

**I**psa suis præstans opibus, nil indiga nostri,  
Involucro *Natura* sacro Myſteria velat.  
Scandere nemo vias poterit, nec pandere plena  
Scrinia gazarum, niſi quem Fortuna juvabit  
*Æquior*. Imperio fruitur *Natura* Potenti,  
Sceptra gerat ſpectata manu, moderatur habenas  
In rebus cunctis. Ejus miracula cernit  
*Ingenio pollens Medicus*, confinia mundi  
Solenter ſpectans. Hic ſe ſociata propago  
*Aëris ac Ignis, Telluris & Equoris* offert,  
Ira quid efficiat *Flammæ* fervida, motâ  
Vulcani rabie, cœloque ſimillimus *Aër*.  
Integra *Telluris* moles, circumfluus *Humor*.  
Scire decet, nec ſcire ſatis: tentare neceſſum  
*Corpora, Natura cauſas* librare latentes.  
En triplex *Regnum*, cui ſubdita magna poteſtas!  
*O Natura ſagax! Animalia* gignis & auges,  
E gremio terræ ſplendentia dona *Metalli*  
In varios uſus de cornu divite promis,  
Quàm varias *Plantas* in pulchris exſeris agris,  
Latificos florum, Zephyro ridente, colores?  
Florea rura micant, velut inter *Cynthia* ſtellas.  
Verùm *Dedaleæ* penetrare ſacraria *Matris*,  
Et cœcos aperire ſinus, tacitosq; reſſus,  
*Aurificis Regnum triplex* expendere librâ,  
Hoc virtutis opus, Fortunæ nobile munus,  
Quali concinnat redolentia *mella labore*  
Filia *Veris Apis*, gratiſſima civis *Hymetti*:  
Per varias operas, conamina ſedula dextræ  
Aſſequitur *Medicus Verum*, mendacia vulgi  
Sordent: adjutu *Sacratæ Palladis* alta

Culmina conſcendit, Myſteria gnævus anhelat,  
Armis & parmis pugnandum fortiter, haſtis,  
Enſibus & clypeis in caſtris *Palladis Alma*.  
*Eſi Vita brevis, perfectio longior Artis*  
Hac brevitate caret, conſtanti forte perennans.  
Firmat eam *Ratio & prudentis mentis acumen*.  
Et ſapit & vigilat, cauſas examinat omnes  
Filius Artificis *Naturæ*: nulla voluptas,  
Deliciæ nullæ ducunt ſolertia corda,  
Eſt Deus in *Medico*, furor igneus, enthe' ardor,  
Eſt tibi *Mercurius* Genius, qui ſubvehit *Alis*  
*Æthereos* animos & *Virgâ* abſcondita monſtrat,  
Nec mora, nec requies: *Hermetis* dona petuntur,  
Cœleſtes rerum vires & munera *Divûm*,  
Cœlum Terra petit, mens Summa tuetur & *Ima*.  
Nescit enim *Virtus* occulta, ſepulta jacere.  
Emicat, atque caput ſuper omnia cætera tollit,  
*Naturæ* contemnit opes, gazasq; *Chymia*  
Inter verveces, craſſoque ſub æthere natus.  
*Numen amat Doctum Medicû, Medicamina dextra:*  
*Prudens quiſque colit Medicum, querendo medelam.*  
Non locus hic monſtris, Erebo vel ſulphure di-  
Quæ juvat interitû tantæ meditariæ *Arti*. (gnis,  
*Zwelferum* conſtat felici ſidere natum,  
*Naturâ* Genitrice ſatum, qui fulgida *Divûm*  
Munera *Divino* produxit acumine mentis.  
Hoc teſtatur opus, quod luminis aſpicit auras,  
Effugiens cineres, ac ære perennius omni.  
Verius haud quicquam de *Phœbi* tripode dictû,  
*Armiger ille Jovis*, pennis pernibus auras  
Sulcans, in libri formosâ fronte ſuperbit.

TE FERDINANDE, PATER PATRIÆ MITISSIME NOSTRÆ,  
CÆSAREUM NUMEN, quod facta Inſignia Magnum

*Fecerunt, quod fama Polis æterna locavit,*  
*Te Patrem cognôſcit opus, Summumq; Patronum,*  
*Magna molis opus, ſudore, labore paratum.*  
Singula ſunt dextrè, prudenter tradita, doctè,  
Singula confirmat perſpecta Peritia rerum,  
Et Ratio, *Medicæ* firmiſſima fulcra cohortis.  
Geſtit *Apollinæ* proſapia tota catervæ.  
Pharmacopœus ovat, *Cimelia* ſplendida naſtus,  
Cordivoros morbos, tristes pellentia curas  
Devotis votis Bonitas Suprema roganda eſt,  
Ut per *Zwelferum* ſuccreſcat doctior orbis,  
Ingenii monumenta ſacri magmenta capeſſant!  
Sic ſecura malis virtus inviſta manebit,  
Mordacem linguam, ronchos & ſibila Momi,  
Et Lethum & Lethen contemnet Nobile Verum!  
*Zwelferi ſtudium Sanctiſſima Gratia Cœli*  
Ditet, qua valido torques *Sispera*; *Inſera nutu!*

POTEN.